



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *CHRISTIANI SUPPLICIIS QUIBUS
CHRISTOPHORO MAGALLANES ET XXIV SOCIIS**

SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR. «Christiani suppliciiis affecti cotidie numero crescunt. In tanta eos statione posuit Deus, quam nefas est iis defugere » (*Ex Epist. ad Diognetum*, n. 6). In Mexicana natione, saeculi XX primis triginta annis, liberalismo ac francomurariorum secta compulsae, civiles potestates, clericatui adversas tulerunt leges, ut Ecclesiam delerent eiusque instituta. Saeva insuper catholici persecutione sunt affecti, quibus strenui fuerunt animi et firmi fidem et cultus libertatem tuendi. Multi sacerdotes ac laici, licet magnorum periculorum essent conscii, sua in statione manserunt atque per martyrium suam vitam Deo fratribusque tradiderunt, summae caritatis cum fierent exemplaria. Inter eos qui Christum in crucis via sunt persecuti, XXII dioecesani sacerdotes annumerantur, pastoralis operae addicti itemque III laici qui apostolatui operam dabant. Hi sunt sacerdotes:

1. Christophorus Magallanes. Ministerium gessit paroeciale in pago suo natali *Totatiche*. Manuballista die XXV mensis Maii anno MCMXXVII in loco *Colotlán* necatus est.
2. Augustinus Caloca. Vicarius fuit cooperatore paroeciae *Totatiche* ipseque praefectus et professor illius loci Seminarii. Una cum Christophoro Magallanes in eodem loco *Colotlán* manuballista necatus est.
3. Iosephus Maria Robles. Ministerium apud paroecias oppidorum *Nochistlán* et *Tecolotlán* exercuit. Congregationem « Hermanas del Corazón de Jesús Sacramentado » condidit. Ad oppidum quod *Quila* vocatur die XXVI mensis Iunii anno MCMXXVII suspensus est.
4. David Galván. Seminarii fuit professor deindeque vicarius paroeciae oppidi *Amatitlán*. Die XXX mensis Ianuarii anno MCMXV in valetudinario Guadalaiarensi manuballista necatus est.
5. Iustinus Orona. Nonnulla post obita officia, anno MCMVI parochus nominatus est oppidi *Cuquío*. Necatus est die I mensis Iulii anno MCMXXVIII in pago *Las Cruces*.
6. Atilanus Cruz. Vicarius coadiutor fuit oppidi *Cuquío*. Una cum Iustino Orona presbytero die I mensis Iulii anno MCMXXVIII necatus est.
7. Romanus Adame Rosales. Quaedam sustinuit ministeria ac tandem parochus loci *Nochistlán* destinatus est.

- Manuballista die XXI mensis Aprilis anno MCMXXVII in pagi *Yahualica* coemeterio necatus est.
8. Iulius Alvarez Mendoza. Parochi oppidi *Mechoacanejo* munus agebat, cum die XXX mensis Martii anno MCMXXVII in loco *San Julián* manuballista necatus est.
 9. Petrus Esqueda. Vicarii cooperitoris sustinuit partes. In vincula coniectus ac tortus, die XXII mensis Novembris anno MCMXXVII in pago *Teocaltitán* manuballista necatus est.
 10. Rodericus Aguilar, parochus pagi *Unión de Tula*, in vincula coniectus, arbori plateae pagi Ejutla die XXVIII mensis Octobris anno MCMXXVII suspensus est.
 11. Tranquillinus Ubiarco. In loco *Moyahua* vicarius fuit cooperitor et exinde in pago *Tepatitlán* parochus substitutus. Die V mensis Octobris anno MCMXXVIII in illius pagi aditu arbori suspensus est.
 12. Ianuarius Sánchez. Cappellanus fuit loci *Tamazulita*. Die XVII mensis Ianuarii anno MCMXXVII in vincula coniectus est, et eodem die in colle *La Loma*, qui apud oppidum *Tecolotlán* reperitur, suspensus.
 13. Iosephus Isabel Flores. In quibusdam paroeciis ministerium exercuit, donec anno MCM ad pagum *Zaplotanejo* destinatus est, ubi usque ad mortem mansit, cum scilicet die XXI mensis Iunii anno MCMXXVII in coemeterio eiusdem pagi obtruncatus est.
 14. Saba Reyes. In pago *Tototlán* ministerium exercuit. Captus ac post crudeles cruciatus die XIII mensis Aprilis anno MCMXXVII in coemeterio eiusdem pagi manuballista necatus est.
 15. Turibius Romo. Sacerdotale munus in pago Tequila obiit. Martyr morte inibi die XXV mensis Februarii anno MCMXXVIII in officina occubuit.
 16. Aloisius Batis, parochus, die XV mensis Augusti anno MCMXXVI in sua paroecia oppidi *Chalchihuites* manuballista necatus est.
 17. Matthaëus Correa. Postquam variis in locis pastorem operam praestiterat, ad oppidum *Valparaíso* parochus missus est. Captus est et die VI mensis Februarii anno MCMXXVII apud coemeterium loci *Durango* manuballista necatus est.
 18. Petrus Maldonado, parochus nominatus est pagi *Santa Isabel*. Comprehensus et crudeliter tortus, in principe nosocomio urbis *Chihuahua* die XI mensis Februarii anno MCMXXVII propter plagas interiit.
 19. Iesus Méndez, parochus in oppido *Valtierrilla* fuit, qui in eodem loco die V mensis Februarii anno MCMXXVIII manuballista necatus est.
 20. David Uribe. Nonnulla egit ministeria pastoralia ac postea parochus loci *Iguala* factus est. Die XII mensis Aprilis

anno MCMXXVII apud pagum *San José Vidal* interemptus est.

21. Margaritus Flores, parochus loci *Atenango del Río* factus, cum illuc pervenisset, captus est et die XII mensis Novembris anno MCMXXVII in oppido *Tulimán* manuballista necatus est.

22. Michael de la Mora. Cappellanus fuit Cathedralis Colimensis, dioecesanus moderator Fidei Propagandae ac spiritalis moderator collegii in urbe *La Paz*. Die VII mensis Augusti anno MCMXXVII in militum statione Colimensi manuballista necatus est.

In eadem religiosa persecutione complures etiam laici interempti sunt, inter quos tres iuvenes Actionis Catholicae numerantur, qui pastorem paroeciae operam agebant, quique die XV mensis Augusti anno MCMXXVI quieti et animosi martyrium una cum parochi Aloisio Batis, quem contra sicarios tueri conati sunt, subierunt. Hi sunt:

1. Emmanuel Morales, XXVIII annos natus, laicus eximius fuit, qui multum ad religionis libertatem tuendam contulit.

2. Salvator Lara, XXI annos natus, secretarius fuit Nationalis Consociationis pro religionis libertate defendenda ac praeses Actionis Catholicae Mexicanae iuventutis.

3. David Roldán, XXIV annos natus, Actionis Catholicae Mexicanae praeses et alter a praeside Consociationis Nationalis pro religionis libertate defendenda, in paroecialem laborem explicandum sociatam suam operam contulit.

Beati hi, ex diversis dioecesibus Mexicanis oriundi, a sua inde morte veri fidei martyres habiti sunt. His peractis cunctis rebus, quas Congregatio de Causis Sanctorum praescribit, die XXII mensis Novembris anno MCMXCII eos Beatorum honore decoravimus. Exinde ipsorum intercessioni miraculum adscriptum est, de quo apud Curiam Guadalaiarensis acta est inquisitio. Eventus felici cum exitu per- vestigatus est a Congregatione de Causis Sanctorum atque die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX Nobis coram Decretum super miro prodiiit. Patrum Cardinalium Episcoporumque, in Consistorio die X mensis Martii anno MM coadunatorum, faventibus cognitissimis suffragiis, statuimus ut Canonizationis ritus Romae die XXI mensis Maii eiusdem anni celebraretur. Hodie igitur in foro Petriano inter sacra haec protulimus verba: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Christophorum Magallanes et viginti quatuor Socios, Iosephum Mariam de Yermo y Parres et Mariam a Iesu Sacramento Venegas de la Torre Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime officientibus rebus quibuslibet. *Datum apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Maii anno Domini bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.* **EGO IOANNES PAULUS**

Catholicae Ecclesiae Episcopus Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 7, pp. 417-421 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana